

et remotis, prout scilicet secundum Deum et eius Justitiam cognoverunt, justum et verum Judicium, justitiam atque executionem in omnibus rebus facient, pro suo posse, sic ipsos Deus adjuvet et omnes Sancti.

De Judiciis.

Articulus Primus.

Omne Judicium, una cum Supremo Judice et Octo Assessoribus Valachis, ut supra nominatum est, iuratis, consistere debet; quibus insuper Notarius, et ipse Juratus, adjungatur. Unius autem vel duorum Assessorum absentia Judicium non impediat; et si Judex Supremus ipse Judiciis interesse nequeat, ipsius loco proximus in ordine assessor praesideat.

Articulus Secundus.

Judicis officium sit, una cum assessoribus Dies iudiciales praefigere, ita tamen, ut Termini Citationum et evocationum ultra quindecim dies non excedant, semper autem tertia citatio peremptoria sit.

Articulus Tertius

Reus in Causam attractus ad actoris Instantiam in Jus vocetur, tuncque respondere non teneatur, nisi rite et legitime citetur.

Articulus Quartus.

Reus, si tribus vicibus per litteras Judiciales sive birschagiales citatus non comparuerit, contra eum in contumaciam procedatur, et Actori finale Judicium et Justitia administretur, ipseque Contumax in Expensas condemnetur.

Articulus Quintus.

In citationibus pro primo sigillo quinquaginta denarii Ungaricales, pro secundo dupplum et pro tertio triplum solvatur, ita ut Causa finita et decisa haec birshagia in duabus partibus pro Judice et Assessoribus, in tertia pro parte Victrici exigantur.

Articulus Sextus.

Nullae exceptiones dilatoriae praeter impedimenta legitima admittantur, ac de caetero etiam processus in omnibus summarius sit, et sine strepitu et figura Judicii Ordinarii observetur, adeoque factum et merita Rei duntaxat simpliciter